



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Classes variæ Errorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

Classēs variæ Errorum.

PRIMA CLASSIS eorum est. Qui admis-
sa consubstantialitate, duas vel tres perso-
nas in unam confuderunt: Tales fuerunt quos
Cyprian. Epist. 73. Patropassianos appellat,
quorum intentum fuit dicere, Patrem esse pas-
sum pro nobis. Hanc hæresin novo conatu An-
no 245. propugnabit Noëtus Ephesinus. Sed
Theodoretus L. 3. de Hæreticis, Smyrnensem
vocat. Eandem hæresin docuit Epigonas qui-
dam, habuit discipulum Cleomenem, qui Ma-
gister fuit Noëti. Successit Noëto Sabellius
eundem errorem docens, ut sentit August. L.
de hæresib. Ad quod vult Deum, hæresi 47.
vide Euseb. Histor. Ecclesiasticæ l. 7. c. 4. Sa-
bellianorum errorem sic describit Epiph. Hæ-
res. 62. *Horum hæc opinio est, eundem esse Patrem,
& Filium, & Spiritum S. ut ad eandem hypostasim
tres appellationes conveniant.* Error illius audiri
cœpit 257. Posterior Sabellio fuit Paulus Sa-
mosatenus in hoc differens, quod Divinitatem
Christi specialius impugnandam acceperit.
Contra quem Anno 265. Synodus Antiochiæ
celebrata, sed ab eodem elusa: Damnatus in al-
tera Synodo Anno 270. Confule Euseb. lib. 9.
cap. 22.

SECUNDA CLASSIS est, quam ducit Arius,
qui prædicanti Alexandro Episcopo Alexan-
driæ, Petri qui illum excommunicarat succe-
ssori, restitit, dum subtilius aliquid de Trinitate
differeret, ut testatur Socrates l. 1. c. 5. Immo
Sozomenus l. 1. c. 25. censet, quod Alexander
vehementer instanti Ario cesserit, sed postea
resipuerit. Errorem cœpit disseminare teste
Orosio l. 7. c. 28. subinaugurationem Crispi &
Constantini Junioris, qui facti sunt Cæsares, ut
in festis Idacii habetur Anno 317. Constantinus
Magnus, postquam jam damnatus fuisset Arius,
misit ad eum Hosium Cordubæ Episcopum,
scripsitque illi epistolam, ut habetur apud Eu-
seb. l. 2. de vita Constantini, tandem Nicææ in
Bythinia damnatus. An etiam persona illius
damnata? An poenæ corporales sint inflictæ?
Variant Auctores.

Propositiones ejus hæ fuerunt.

DŌcuit, solum Patrem esse bonum, immor-
talem, immutabilem, æternum, ita Epiph.
Hæresi 69. n. 17. Unde etiam dicebat, Deum
non ab æterno fuisse Patrem, sed cum Filium
produxit, qui è nihilo, & non exstantibus crea-
tus est, ut esset instrumentum creandi cætera,
ut refert Athan. Oratione I. esseque Deum, sed
per participationem, licet præstantiori modo;
potuisseque malum fieri, sed per Deiscientiam,
& prædestinationem exemptum, quod cum in
bono constantem fore præviderit Deus, ut me-
minit Athan. Orat. 2. Docuit etiam quod Tri-
nitas sit substantiis distincta, ut habetur apud
Athan. Orat. 2. Hanc hæresin iussit appellari

Constantinus apud Socratem L. 1. c. 9. Porphy-
rianorum. Athanasius appellat Judaicam Hæ-
resin. De diversitate autem aliorum sequen-
tium Arium vide Petavium de hoc errore c. 9.

Inter hos Arianos triplex fuit Secta. Qui-
dam aperrè Christum creaturam esse dicebant,
appellabanturque Anomæi. Alii erant Semi-
Ariani, qui consubstantialitatem negabant, si-
militudinem tamen etiam in substantia conce-
debant. Tertia media inter utramque, quæ
nec consubstantialem, neque substantiâ simi-
lem, similem tamen dicebat Filium Patri, quæ
omnia colliguntur ex Athan. & Epiphano.

Inter ipsos semi-Arianos duplex adhuc erat
Secta. Alii dicebant ante tempora omnia ge-
nitum Filium, non tamen ex æterno: Alii au-
tem dicebant ab æterno quidem productum
sed non consubstantialem. Hæc semi-Aria-
norum Hæresis multos decepit, & Athan. in
lib. de Synod. fratres illos appellat.

TERTIA CLASSIS est Hæreticorum no-
stri temporis, quos primus excitavit Michael
Servetus Hispanus: Illius dogma vergit potius
ad Sabellianismum, ut habet Calvinus lib. 1.
instit. c. 13. n. 22. & idem apud eundem lib. 2. in-
stit. c. 14. n. 5. non alia ratione Christum Dei Fi-
lium esse dicit, nisi quatenus ex utero Virginis
genitus est ex Spiritu S. Idem Anabaptistarum
Hæresin complexus baptisari parvulos vetuit.
Genevæ comprehensus & auctore Calvino
combustus est.

Succesit post aliquot annos Valentinus Gen-
tilis, natione Italus, patriâ Consentinus, qui ad
Arium declinavit, prothesi 9. ait; Qui unum
Deum in tres proprietates, sive personas distin-
guat, vel sibi præstigiis facit, vel necessariò u-
nius Dei substantiam dividit, atque discerpit.
Captus Genevæ in carcere Hæresin abjuravit,
manumissus plures Regiones pervagatus, tan-
dem Bremæ captus capite luit.

Antiquitas Catholica Doctrina.

Antiquitatem Doctrinæ Catholicæ decla-
rat illud, quia quando damnabatur ante
Synodum Nicænam ab Alexandrinis Patribus
Paul. Samosatensis, ut habetur Tom. 1. Concil. p.
192. Decrevimus dicunt PP. fidem scripto edere
& exponere, quæ à principio accepimus, & habe-
mus tradita & servata in Catholica & sancta
Ecclesia, subditurque esse unum Deum ingeni-
tum, & Filium unigenitum, Sapientiam, Ver-
bum ac virtutem Dei ante secula, &c. substan-
tiam & hypostasim, Deum Dei Filium.

PRIMO SEculo præter Evangelistas & A-
postolos, docet idem liber Pastoris, qui attri-
buitur Hermæ, quem Clemens Alexand. &
Hieron. proximum fuisse Apostolis dicunt,
quem hæc scripsisse Iren. lib. 4. c. 37. apud Eu-
seb. l. 5. c. 8. refert; Bene ergo pronuntia vit Scriptu-
ra, quæ dicit, primò omnium crede, quoniam unus